

CONCILIVM PROVIN. COLONIEN.

nihil aliud efficiunt, quam vt plebem, alioqui satis in clerum irritatam, irritatorem reddant, ac gliscenti seditionum igni oleum subministrant. Iurisdictiones ac magistratus esse oportet. Quod interdum personarum, non ordinis seu magistratus vitio peccatur, alia providentia purgandum est, non cæco plebis iudicio expendendum, fraterna correptione opus erat, non accusatione aut laceratione ex suggestis. Et vt omnia non statim ad viuum vsque repurgentur, quod fieri vix potest, non grauabuntur isti oculati, in se quoque descendere ac suos erratus inspicere, quo tandem æquiores fiant, diuiniq; iudicij etiam quædam reliquant. Si enim omnia (vt scite Anacletus ait) in hoc seculo vindicata essent, locum diuina iudicia non haberent. Sed de his satis.

Math. 18

Ex canoni.
Anacleti.

Abusus est, qui parochio suo officio interdicat.

Cap. X.

EX his quæ diximus consequitur, eum morem, qui alicubi irreperit, penitus irrationabilem, ne dicamus execrabilem abusum esse, quo legitimi ecclesiarum parochi adiguntur iureiurando affirmare, se in suis ecclesijs fratres mendicantes ad verbi ministerium (etiam si ipsimet pro ratione suscepti ac cõcrediti muneris eo fungi velint) perpetuo admissuros. Quid enim hoc more aliud agitur, quàm vt parochio officium, quo se Christo & ecclesiæ obstringit, adimatur, ac in alium relegetur. Id vitij, vt spes est, curabimus.

Fratres mendicantes his synodalibus constitutionibus erunt parentes. Cap. XI.

AEquum quoque censemus, vt qui ex fratribus huic muneri accingi velint, nostris Vicarijs in pontificalibus serio promittant, se hisce synodalibus institutis omnino obtemperaturos, quo sermo dei pure, sincere, ac sine offensione decurrat.

Decet quoque vt fratres eatenus ordinariæ potestati subijciantur. Cap. XII.

Qui vt ordinariæ nostræ potestati, quod ad eiusmodi functionem atinet, subijciantur, & eatenus monasticæ professionis regulis, obligationibusq; eximantur, non decens tantum, sed & iustum putamus.

De semel certo loco destinatis ac admissis non temere retrahendis. Cap. XIII.

Qui vero semel presentati & admissi fuerint, vt certo loco hoc ministerio fungantur, non debent temere seu præ nostrum assensum a suscepto munere retrahi. Nam frequenter personarum mutationem periculosam putamus, vt interim sileamus sæpe minus idoneum in idonei locum surrogari.

Qui